

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

8 September 2021

Translate **ALL FOUR** passages. You have three hours to complete the exam. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. 1. The writings of Pope Gregory the Great, and the efforts of Peter the Deacon to prevent them from being burnt.

Gregorius, natione Romanus, monachus et abbas, papa Romanae Ecclesiae, multa scripsit. Primam et ultimam partem Ezechielis prophetae, quae obscuriores erant, exposuit homelitico sermone. Librum Dialogorum, quem cum Petro diacono suo de miraculis sanctorum sui temporis habuit, Teudelindae Longobardorum reginae pro munere misit. Epistolarum tot libros posteris reliquit quot annos in papatu vixit, id est tredecim et semis. Scripsit et alia quae a Romanis post mortem ejus combusta sunt, qui et omnia opera ejus combussissent, nisi Petrus, diaconus ejus, interveniens confirmasset jurejurando se vidisse Spiritum sanctum quasi columbam super caput Gregorii tractantis sedentem, rostrum suum ori illius inserentem; et hoc ipsum Petrus hac conditione fecit, ut si ipse post factum jusjurandum statim moreretur, Romani a libris Gregorii comburendis cessarent; si non moreretur, ipse etiam combustoribus librorum manus daret. Sic Petrus inter verba juramenti exspiravit, et Romanorum insania cessavit.

2. The Dangers of the Sirens and the World

Isaias propheta dicit: Sirena et daemonia saltabunt in Babylonia.

Sirenae animalia sunt mortifera quae a capite usque ad umbilicum figuram hominis habent, extrema uero pars usque ad pedes uolatilis habent figuram. Et musicum quoddam ac dulcissimum melodiae carmen canunt, ita ut per suauitatem uocis auditus hominum a longe nauigantium mulceant et ad se trahant, ac nimia suauitate modulationis prolixae aures ac sensus eorum delenientes in somnum uertunt. Tunc deinde, cum uiderint eos grauissimo somno sopitos, inuadunt eos et dilaniant carnes eorum, ac sic persuasionis uocis ignaros et insipientes homines decipiunt et mortificant sibi.

Sic igitur et illi decipiuntur qui deliciis huius saeculi et pompis et theatalibus uoluptatibus delectantur, tragediis ac diuersis musicis melodiis dissoluti, et uelut grauati somno sopiti efficiuntur aduersariorum praeda.

3. Is Saint Alban English or British?

Inter rosas martyrum rutilat insigniter noster Albanus. Confidenter dico “nostrum,” calumpnias Britonum non formidans. “Quod uobis,” inquiunt, “et Britoni Albano est? Angli estis. Patres uestri gentem eius exterminauerunt, locum eius cum corpore occupauerunt, et uos in peccato patrum uestrorum perseueratis usque ad diem hanc. An ideo ‘uestrum’ dicitis, quia captiuum tenetis?” Immo, nobis Anglis et eggregio martiri multum per omnem modum est. Quid autem illi et uobis est, o Britones? Offensus peccatis gentis sue, que iam usque ad celum peruererant, transiuit ad Anglos atque, ut ita dictum, ex Britone Anglus, ex uestro noster factus est. Quod si inde gloriandum putatis, quia uester secundum carnem, hanc gloriationem inanem ostendit qui ait: “Caro non prodest quicquam.” Ergo, ut dixi, inter rosas martyrum insigniter rutilat noster Albanus et candet inter lilia.

4. Mary Magdalene and Her Brother Lazarus Talk about Their Inheritance after His Resurrection

Lazarus: Post defunctum genitorem
Ad nos duos iuxta morem
Deuenit hereditas;
Sed tu, tamquam nichil forem,
Michi claudis iuris forem;
Ius auferre cogitas.

Magdalena: Digna res est et equalis:
Quod det uita temporalis
Bona temporalia;
Sed cum mors sit naturalis,
Dicit usus temporalis
Quod mors aufert omnia.

Lazarus: Possum uerba dare, tangi uel tangere, quare
Non me priuare debes, germana, mea re.

Magdalena: Non ego te priuo, sed mors.

Lazarus: Soror, aspice! Viuo!
Fac michi ius uiuo, surrexi munere diuo.

Magdalena: Cum mortis biberes potum, periere tue res;
Pro nichilo queres, non est homo mortuuus heres.
Omnia morte sinis, cum mors sit ad omnia finis;
Res non sunt hominis, quando fit ipse cinis.

Lazarus: Respice germanum membris et corpore sanum!

Magdalena: Non credo siquidem quod tu sis Lazarus idem
Qui fuerat pridem.

Lazarus: Crede teneque fidem!